



PONTIFICIA COMMISSIO
CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

E Civitate Vaticana, die 13 Ianuarii 1983

Prot. N. 4939/83
(In responsione fiat mentio huius numeri)

Amplissime Domine,

Uti iam Tibi notum est ex Allocutione Summi Pontificis die 23 elapsi mensis habita, Ipse Supremus Ecclesiae Legislator novum Codicem Iuris Canonici promulgabit die 25 huius mensis ianuarii, in Festivitate Conversionis Sancti Pauli Apostoli.

In mentem est Summi Pontificis, ad tanti momenti eventum pro vita Populi Dei debite ostendendum, ut sollemnis actus in Palatio Apostolico Vaticano sub Sua praesidentia celebretur, die 3 februarii p.v., aula et hora opportuno tempore statuendis.

Gratum mihi est hoc Tibi notum facere qui tanta scientia, deditione et sedulitate in laboribus Commissionis nostrae generose adlaborevisti, ut si id cupias et possibile Tibi erit in praedicta sollemni celebratione partem habere valeas.

Interim quidem, dum Domino gratias ex corde pando quia nostrum in bonum universae Ecclesiae opus expletum est, denuo Tibi gratias quam maximas ex animo pro Tua pervalida cooperatione referens, Tibi permaneo

addictissimus

+ *Raffaello Sara*
Pro. Praes.